



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Dictamina Seu Scita Variæ Doctrinæ, Politicæ, Moralis, Stoicæ, Christianæ, & Spiritualis

Nieremberg, Juan Eusebio

Paderbornæ, 1711

Dictamina Moralia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50306)

Dictamina Moralia.

DECAS I.

IN hoc creavit nos Deus, ut beati simus, lac sumus eheu! tam infelices, ut beatitudinem nostram vel non cognoscamus, vel non æstimemus. Verumtamen qui ignorat terminum, quomodo signaturus est viam? Erramus sinè proposito, & quò feramur, nescimus. Beatitudo non est alienum bonum, sed proprium. Ut quid aliunde accersimus, quod domi nostræ nascitur? Intrà nos est, quo beati simus; cur ab aliis mutuemus?

2. Vera beatitudo aut virtus est, aut nusquam sinè illa; ad minus instrumentum est vitæ, si non beatæ. Beatitudo non potest esse absq; bono: quod autem aliud bonum majus, quàm bonum esse? si possessio boni appetibilis est, quid erit reipsâ bonum esse?

3. Virtus sibi ad felicitatem sufficit, neque ullâ re opus habet: est sui ipsius pretium & præmium. Tam amabilis ejus bonitas est etiam perversis, ut in ipsis vitiis imaginem illius colant, quantumvis falsam

sam

sam, appetentes scilicet, quod melius est.

4. Hac Bonum prærogativâ gaudet, ut factum propter seipsum nihil amittat de bonitate sua; malum autem licet obtentu boni fiat, non redditur indè bonum, sed retinet malitiam etiam sub ipsa specie boni quæsitam.

5. Facile imitabilis est virtus: ejus sycophantam vitium agit, larvatum eadem specie: neque semper utriusque actiones distinxeris: intentio sola discernit.

6. Magnum quid virtus sit necesse est; siquidem eâ solâ magni reddimur. Neque enim uti Zeno ait, qui magnus, idem quoque virtuosus, sed qui virtuosus, ille reipsâ magnus est. Semper virtuti fortuna concessit: nam qui ejus causâ occumbit, non moritur, sed perennat.

7. Supra hominem est, qui ex virtute operatur, infra hominem, qui ex vitio. Non solum convenientiâ urbanitatis cogimur esse virtuosus, sed & necessitate: nè scilicet, quàm nascimur, pejores simus. Irrationali namque pejor est, qui dotatus Ratione fugit, quod illa dictârit.

8. Illud duntaxat bonum reputes, unde

de

de bonus reddaris. Tametsi dignitate super omnes emineas, si vel supremo in orbem polleas dominatu, sis licet sapientior omnibus, corporis animique dotibus excellas; nemo te tamen, si virtus absit, bonum appellârit. At verò desint hæc omnia, non desit virtus, nemo tibi boni appellationem sustulerit. Talis est ad præcellentiam titulus bonitatis.

9. Divitiæ fallunt, honores evanescent, fortuna præcipitat. Anne, quod te bonum non facit, faciet fortasse pessimum, bonum dixeris? Non est bonum, quod bonos non facit. Virtus nemini officit: omnibus prodest, & absque alterius adminiculo se solâ proderit tibi, plus quàm cætera omnia.

10. Quidam Philosophorum virtutem definiunt esse, unde, & per quam omne bonum derivatur. Habet illa aquæ ductus suos, per quos dimanat ad nos omnis felicitas vitæ hujus, & beatitudo alterius. Undique prodest, æquè corpori ac animæ, tam in hac vita, quàm in altera.

DECAS II.

II. Omne vitium omni studio devita;
neque

neque dixeris: id totum est quod possum, nequeo amplius. Idem enim hoc est, ac dicere: vellem, sed nequeo hoc vitium fugere; & hoc idem, ac illud: possum, sed nolo virtutem sequi.

12. Quæ distantia est cæli à terra, hæc eadem est terræ à cœlo: nam duo extrema æqualiter distant. Alia prorsus ratio est in virtute & vitio. A virtute citissimè transferis ad vitium à vitio ad virtutem lentissimè.

13. Virtuti uti dignissimæ competit honoratior locus: hunc ei discretio assignat, & mediam collocat inter extrema, cavendo, nè in quo deficiat aut excedat; nè quid nimis, nè quid minùs.

14. Videas virtuti vitium semper esse proximum; idcirco cave sis, nè inquirendo in illam, incurras in istud. Sunt homines veri, sunt & picti solùm fictive. Idem est in virtutibus: quasdam color sic pingit & species externa: aliæ veræ sunt, & seipsis constant. Virrus conficta vitium est, destituta scilicet discretione debita, & intentione pura: falsa autem virtus est vitium verum.

15. Sed

15. Sed neque veris virtutibus omnino acquiescas: aliæ enim simplices sunt, aliæ solidæ: illæ roboris exigui, istæ validissimæ. Leo parvus & magnus uterque Leo est, differunt tamen. Virtus robustior alias quoque attrahit, & jungit sibi: tene-rior, licet virtus sit, sola remanet, & sociis destituitur.

16. Utere Ratione, quemadmodum Leo unguibus, cervus pedibus, & in pullorum præsidium plumis gallina. Omnia animalia dotavit natura, consentanea unumquodque supellectile instruens, quasi portione cognatæ hæreditatis. Liberalior longè in hominem fuit: dando Rationem plus dedit, quàm cæteris omnibus.

17. Quomodo Leo victurus est absque pedibus? aut quæ se defendet aper absque dente falcato? Et homo nisi Ratio ducatum præstet, quam viam tenebit? quò progressurus est? Bene Pythagoras dixit, prudentiam homini pro viribus esse, pro armis, pro muro. Sit integer animus, omnia in tuto sunt.

18. Nullum vitium damnosius est, quàm quod virtutis similitudinem induit. Larvatum

vatum

vatum timetur minùs, aut penè diligitur. Desipis, ſi alieni criminis te reum facis, ut proximum immunem reddas. Pejus eſt culpæ favere, quàm facere; hoc fragilitatis eſt, illud malitiæ.

19. Ex uſu rationis formatur Virtus, ex abuſu vitium oritur. At quis Major abuſus, quàm contraire Rationi? Tametſi quodvis vitium aliò ſe torqueat, omnia tamen adverſantur Rationi; vitioſus autem ſibi ipſi. Turpe eſt Intellectu uti, ut beſtiis aſſimilêre.

20. Neſcire imperare affectibus ſuis tam dedecoroſum eſt impio, quàm pænoſum iis non poſſe occurrere. Vel non audent tentare quod cupit, vel ſi tentat, non aſſequitur. Adeò propria illum vota affligunt. Spes modicæ voluptatis quàm longa rependitur ſerie dolorum! imò quàm cara ſunt pretia dubii mellis per ipſos amarores ad nos deſluentis.

DECAS III.

21. Nullum vitium eſt abſque cenſu, nullum cum emolumento. Sui cauſâ, & ſine fænore adjuncto nemo illud quæſierit: inde vilitas ejus pateſcit. Superbia appetit hono-

honorem, avaritia nummos; gula voluptatem: omnia spondent boni aliquid; sed præstant nihil, aut satisfaciunt pessimè.

22. Odisse te oportet vitia, non metuere. Nam qui ex metu fugit, non horrore malefacti, timidus magis, quàm iustus dicendus est. Periclitamur non de casu solùm, sed & de interitu: damnosissimum enim est malè vivere, & non indiscriminè duntaxat, sed & omnimodam ruinam præcipites agit.

23. Inanis species, phantasma vivendi est mala vita: eam vitia occupant, non explent. Non habet usum, sed impedimenta vivendi, qui malè vixerit. Nihil agere est non vivere; malè agere est vitam perdere. Otium est parenthesis vitæ, vitium jactura. Non idem putes diurnare, & vivere; neque omnis, qui diu fuit, diu vivit. Senex vitiosus diu fuit, parùm vixit: juvenis virtuosus, etiamsi parùm durârit, multùm vixit.

24. Malè agere res est plena periculi. Malus nusquam securus est. Tametsi nemo ei infensus sit & omnes indulserint, conscientia nunquam parcit, nunquam desinit

D

nit

nit castigare. Peccatoris maxima pœna est deliquisse: ipso scelere plectitur Scelestus.

25. Sceleribus nunquam profuit Secretum: Possunt quidem occultari; at ut semper lateant, quis asscurabit? O ineptos! quibus cura tantum est abscondere peccata, quæ non possunt, & nolunt destruere, quod facile possunt. Quid prodest, alii ignorent malitiam tuam, si tibi ea constet, & Deus perspectam habeat? Quamvis ab omnibus securus degas, timebis tamen: desint licet pericula, non deerunt timores, minus detrimenta.

26. Non famam æstimemus nos, sed conscientiam. Plus interest te virtuosum esse, quam videri: neque enim ex eo, quod audis, sed quod es, æstimari debes. Bonitatem non censeas testimonio alieno, neque gloriam putes laudatum esse, sed laudabilem. Ille maximè laudabilis est, qui etiam non laudatus perseverat laudabilis esse.

27. Inter delicias corporis ægrotat animus, & spiritus flaccescit, dum caro flagranatur: deficit enim facultas agendi quod voluisse aliquando facile fuit, corporis dilatatione constringente animam.

28. Voluptas, ubi modum transilierit, vertitur in pœnam. Sanè perutilis virtus sit oportet; siquidem ipsa vitia, ut suum consequantur finem, ejus indolem imitantur servato medio, vitatísq; extremis.

29. Leo blanditiis solet mansvescere, & caro nostra deliciis efferatur. Cibus sumendus non est uti materia gustûs; sed quasi medicina famis. Non vivimus, ut edamus; sed edimus, ut vivamus. Edendo modicè vives diutissimè: plures enim occidit gula, quàm ferrum.

30. Adeò nihil profunt vitia, ut etiam obsint ipsi vitioso. Quò plùs cuticulam tuam curaveris, tantò plùs indè gravaris. Amâsse nocuisse est. Gula, & luxuria collegæ ac veluti Consules sunt vitiorum: quantò magis blandiuntur carni, tantò magis officiunt; vires hebetant, agglomerant dolores, substantiam pessumdant.

DECAS IV.

31. Ingluvies per vitæ officinam mortem fabricat, per gustum anxietatem. Lascivia dulce est principium amari exitûs: Initio palpat, exitus exitium est. Vitium sibi ipsi notissimum, obscurum ta-

men ambiens erubescentiâ propriæ fæditatis; tametsi plûs lateat sub sortis favore, quàm noctis obscuro.

32. Infamat corpus suum, qui voluptuosè vixerit: dum deliciis fovet, mille incommodis expositum habet. Hosti acerrimo arma subministras, si indulgentiùs habes.

33. Vita voluptuosi est vita animalium, vita gulosi plantarum; quæ partim humanæ sunt, neque aliud habent, quàm ut aulantur. Vitâ vivit vegetativâ, sensitivâ pollet, rationali torpet.

34. Nunquam amentiùs superbus delinquit, quàm quando de alieno procurat opinionem sui. Præfert se aliis, quia ditio-
re veste indutus est, quia gemmis rari-
rioribus fulget, quia cum comitatu mul-
to procedit; metiendo dignitatem suam
à manu Sartoris, aut arte argentarii, non
opere heroico, famâ, & homine digno.

35. Æquè desipit præsumptuosus, ac qui
desiderio se calefaciendi volutatur in ni-
ve: hoc est per opposita media contendit
ad finem. Amore excellentiæ propriæ
contemptibilem se præbet per ipsa, qui-
bus

bus postulat adorationem sui. Nempe relapsa in contrarium cupiditas, dum æstimari vult, contemptui fit, transeunte arrogantiam in vilipensionem.

36. Alia vitia obscurum amant, sola superbia tam stulta est, ut ubique videri ambiat, jactetq; eminentiam suam, cum vitiis reliquis inferior sit, ac longè abjectior.

37. Inter vitia nullum stultius vanitate: damnosum est animæ, & corpori non prodest. Præsumptionis suæ aliud fœnus non habet, quàm quòd risui sit & horrore dignissimum meritis ipsius præmium.

38. Cum omne simile amet sibi simile, superbus nihil ægrius tolerat, quàm æqualem: societas conditionis dissociat. Et quemadmodum similitudo ipsius naturæ instinctu parit amorem, ita superbia vitio elationis odit æqualitatem. Fera solitudinis amans, horrenda egenis, divitibus intolerabilis. Nam si opulentum afficit, reddit vanum; si pauperem, fatuum.

39. Tantæ malitiæ hoc vitium est, ut peccatum respectu illius videri possit proficuum. Expedit sanè præsumptuosum quandoque in culpas prolabi, ut ex ipso casu sapiat, noveritque se odisse.

40. Honores taxandi ſunt meritis, non ambitu. Equidem majoris gloriae eſt non obtentos meruiſſe, quàm non meritos poſſidere. Ambire, quod non meruiſti, impudentia eſt: procurare per media inhonora, infamia. Plus recidit, quàm aſſurgit, qui per indigna ſe evehit: honor ei in confuſionẽ cedit, dignitas in contemptũ.

DECAS V.

41. Quidquid boni eſt, à Deo eſt, quidquid mali, à te. Dic igitur, unde præſumis? Si de malo? non eſt hæc gloria, ſed calamitas, Si de bono? hoc alienum eſt, non tuum. Præſtat in malefactis humiliter poenitere, quàm in virtute ſatiſfactione præſumere.

42. Ambitioſus exerrat à via, dum ad Solium honoris contendit; non evehit eò fortuna, ſed virtus. Ipſo ambitu, quo accedit, repellitur, dum per vitium prætendit, quod non niſi virtus conceſſerit.

43. Iram, ut pote, fugito: præcipitat conſilia, ſuadetque fieri optimè, quod nociviſſimum eſt. Juberis ſævire in alium, & teipſum perimis: ita & apes lædunt pernicie ſua. Damnum, quod putas tuum.

ſarcire

farcire vis alieno, & proprium auges. Multos, crede mihi, verbuli non dissimulati impatientia patriâ extorres fecit.

44. Quantum abes longiùs à capiendo consilio, si irasceris, tantò magis expedit prævertere, nè irascaris. Ut patiamur nos ratione destitui, multa certè ratione opus est: & fortassis non suppetit ratio, quæ te impellat, magis ut irascaris, quàm ut inebrieris.

45. Tutius est inimico ignoscere, quàm ab illo vindictam petere, forsitan & facilius. Ignoscere potes nec movendo pedem, ulcisci vix absque impensis, & discrimine non parvo.

46. Neque à mortuo responsum extorseris, neque ab avaro gratitudinem. Desiderium accipiendi extinguit in illo memoriam accepti. Ut accipiat, quidquid grande est, videtur modicum: ut donet, quidquid modicum est, videtur immensum.

47. Avaro, quæ aliis felicissima sunt, veniunt in censum calamitatis. Divitiæ ipsi vertuntur in egestatem, vita in poenam. Hujusmodi nempe vita avaro est, ut pejus ei voveris nihil, quàm ut vivat.

48. Plurima desunt divitibus, avaro omnia. Inutiliora sunt ei possessa, quam non adeptata. Ipsa, quæ habet, cupit, & ipsa desunt, quæ habet, cum frui non audeat. Adeo nempe infelix est, ut tam desit ei, quod habet, quam quod cupit habere, & forsitan hoc magis: nam de eo, quod habet, non gaudet, & illud, quod non habet, sperat solummodo. De illo, quod possidet, non habet fructum, & illius, quod sperat, solum odoratur florem.

49. Multum interest inter timentem egestatem, & amantem divitias. Illum fugiunt omnes, ab hoc abhorrent. Illum vis necessitatis audacem facit, istum vilitas avaritiæ odiosum: nulli enim avarus nisi hæredi proficiuus est.

50. Perinde avaro sua cupiditas est, ac naufragium aut incendium: non magis fruitur substantiâ suâ, quam si foret aquis hausta, aut igne absumpta. Quidquid in arcam recondidit, idem est, quasi amiserit: tantundem proficit habenti ac carenti. Cupiditas avari paupertas est deaurata, locuples inopia, & in abundantia egestas.

DECAS

DECAS VI.

51. Avarus nemini utilis est, sibi ipsi nocivus: aliis non tribuit quidquam, sibi ipsi detrahit omnia, sui ipsius poena, & calamitas. Vitam ducit egentis, nunquam visus habuisse aliquid nisi cum cessat habere. Eò nempe redigitur, ut nequeat benefacere, nisi moriendo; fidelissimus hæredi, & amantior quàm sui. Quàm simulatè tunc plangitur ab iis, quibus vivus noluit prodesse!

52. Utì liberali semper suppetit titulus dandi, quod petitur; ita avaro nunquam deest ratio negandi. Avarus non gaudet de auro, quod possidet; liberali etiam fructificat, quod alienat. Ille mancipium est ejus, quod habet; iste Dominus etiam illius, quod non habet.

53. Qui nescit opibus dominari: facit ut opes dominantur ipsi. Aurum sapientum est, insipientes sunt auri. Illius solet opulentia abuti, qui nescierit opulentiam uti.

54. Livor in hoc perniciosus est, quòd gaudeat de alienis malis absque proprio bono, in hoc perversus, quod bona aliena vertat in propria mala. Infelix vitium!

quod non torquetur ſolùm à malo quod ſentit, ſed & à bono, quod videt. Sufficiunt mala vitæ hujus, ut quis indè reddatur miſer; quod ſi etiam bona in id concurrant, bis miſeri ſumus.

55. Aptè quidam invidiam æquiparavit coti, ad quam linguæ acuantur. Verùm calumnia invidentis commendatio eſt, dum quaſi cogitur de bono proloqui malè, innuens virtutem dum arrodit. Bonitatis encomium eſt ab invido taxari, vituperium foret commendari.

56. Faciliùs tuleris invidum, quàm adulatorum: ille peior eſt contagioſo, aut, uti quidam, dæmoniaco. Undique Livor malitiam contrahit, ſeu pœna ſit, ſeu culpa. Culpa illius eſt peccatum infame, pœna inſolita crudelitas.

57. Rarum monſtrum invidia! injuſta ſimul, & juſtiſſima. Quæ enim injuſtitia major, quàm offendi alterius virtute? ſentire malè quòd alius agat bene? At contra, quod vitium majori juſtitiâ caſtigat ſe amantem, ac livor, torquens aſſidue quem occupârit?

58. Idem amor eſt Adulatoris in hominem.

nem, qui lupi in ovem. Uterque amat, ut prædam capiat, non ut obsequium præstet. Adulator est hostis occultus, quem nemo meliùs noverit, ac avarus. Parùm est mendacem esse, jure dixero traditorem; dum pessimo officio fungitur obtentu optimi & per speciem amoris nocet damno hostilitatis.

59. Tritum adagium est, mendacia carere pedibus: ego dixerim, mendacia alis abundare, mendacem verò pedibus destitui. Illa enim celeri volatu se ubique diffundunt, hunc autem facilè deprehendas, nervis quasi contractis ubique claudicantem.

60. Nulla eloquentia efficacior, ac illa, quam necessitas docuerit. Illa tropos suggerit & figuras, illa rationes subministrat, ut persuadeat. Nullo tamen ex fonte fortius argumentum duxeris, quàm à Veritate: indè solùm intellectus convincitur, indè Ratio sustentatur. Verùm cruda Veritas ægre transmittitur, intrita sit, cocta sit, ut digeri possit.

DECAS VII.

61. Quisquis amat, tendit in bonum.

D6

Quid

Quid igitur amamus, quod hoc ipso, quia amamus, nocet, bonumque malo rependit? Infelix Amator, qui deperit causam sui infortunii. Hoc agit, qui fortunam diligit, non virtutem.

62. Summa Animæ felicitas est adimpletio cupiditatis. Si ea tendat in bonum, non solum felix, sed verissimè bona evaserit. Amare Deum summa est virtus: amari à Deo summa felicitas.

63. Nónne fatuitas videtur amare ea bona, quæ si alter amaverit, Zelò consume-
ris? Deum potes amare absque metu amittendi, & absque zelo te non amari.

63. Insipienter quoque illud amaveris, quod, quia amas, justum est, ut perdas. Amando divitias mereris iis destitui. Illud sapienter amâris, quod amando mereris consequi. Amor est echo amoris, amari pabulum amantis: ex utroque amicitia conficitur.

65. Timor non est nisi mali. Quod si ergo mala hujus mundi malum non sunt, cur timeamus? Trepidemus ad culpam, non horreamus ad pœnam. Illa verissimum malum est; hæc bonum nondum
existi-

existimatum, cui licet fama desit, non deest veritas.

66. Solent puniri vota nostra per idipsum, quod appetunt. Semper enim plus reperias, quod metuas, quam quod anhelas. Quæris voluptatem? cur non times fel, quo imbuta est, & dolorem, qui manet fruentem? Forsitan dolebis omni vitâ, de quo vix gavissus es mediâ horâ.

67. Metus, & tristitia sunt sanguis animi vulnerati. Quis est saucio corpore otiosè spectat manare sanguinem, & non potius quærit vulneri medelam? Si fortuna minatur, noli inquirere, quo ictu te feriet, sed quâ fronte accepturus sis. Non vulnus metuendum est, sed animus in illud aptandus.

68. Qui libenter fert, quod necesse est; fregit vim mali, & evertit præcipuam machinam ærumnæ. Levamen miseriarum est, non reniti. Vis imminuere calamitates tuas, compone cum alienis. Mitigari solet dolor afflicto, ubi viderit nulli malum incumbere, quod alius non tulerit.

69. Geminus virtutis custos metus est, & erubescenria. Hæc ingenuum abstrahit à malo,

à malo, ille vulgus coërcet. Multitudo non paret honeſtati, ſed jumentorum inſtar adducenda eſt ictu aut metu. Ingenuitatis illud indicium eſt, hoc mancipii animique ſervilis.

70. Timor eſt occulta admonitio naturæ ad mala evitanda: nam quæ inevitabilia ſunt, timeri non debent, cùm præcaveri non poſſint. Timor in pericula valet, non in damna: quæ ubi certò noveris eventura, in ea erigenda eſt mens, & præſtolanda virili animo, non metuenda ignavo.

DECAS VIII.

71. Piùs vexamur timoribus, quàm malis, & dum ante neceſſitatem angimur, ultra neceſſitatem affigimur. Mala ſemel nos torquent, timor aſſiduè. Aſt nunquid fatuum eſt, perpetuò timere, quæ nec ſunt, nec poſſunt eſſe perpetua; Multa, quæ non eſſent, ſunt: à metu incipiunt eſſe. Timor plura mala facit aut majora, atque ità bis patimur mala, dum ſunt, & dum formidantur.

72. Meticuloſus multa credit, parùm audet; ſola mali ſuſpicio retundit generoſos.

rosos spiritus, & animum cohibet digna
aufurum. Metus facillimus est credulita-
tis proxeneta: certa effingit, quæ even-
tura non sunt, imò plura, quàm possint
esse. Plura enim possunt esse, quàm eve-
niant, & hæc omnia metus admittit.

73. Ex timore non sunt metienda peri-
cula: sæpe enim ubi major securitas, ibi
majus discrimen. Moderatus timor plùs
habet securitatis, quàm nimia remissio:
ille animum continet, hæc distendit.

74. Judico tamen minùs spei dandum,
plùs timori. In hac enim vita mala abun-
dant & bonis certiora sunt. Casus sinistri
quotidie eveniunt, & calamitates sese ag-
glomerant: fors bona rarior est, nume-
résque mille miseros, vix unum fortuna-
tum.

75. Non diffiteor: sinister rerum inter-
pres metus est, at non semper mendax.
in tanta malorum congerie quid facilius,
quàm in ea provolvi? Spes fallit sæpissi-
mè, quia pauciora bona sunt, & plures,
qui procantur.

76. Nemo pauperior, quàm qui spem
non habet, neque ulla necessitas major,
quàm

quàm ubi illa non ſuppetit. Nunquam bona defuerint, ubi, quod ſupremum reſtat, ſpem habemus. Illa una triſtioribus rebus adeſt, nec ſequitur fortunam, ſed ubi omnia nos derelinquunt, ſola illa perſtat fidus Achates.

77. A bonis præteritis non mitigantur mala præſentia; guſtum autem præſentis voluptatis exaggerat dolor antecedens. Bona expectata decipiunt, mala tolerata lætificant.

78. Senſum rebus accommoda. De modicis non doleas multùm, de magnis modicè læteris. Non eſt prudentis quacunq; ex cauſa tota paſſione effundi. Præverte animo, quod eventurum times; ſi prævideris, forſitan non timebis, aut non adeò. Quid enim eſt, unde angeris? Expende penitiùs omnia, comperies cauſam afflictione minorem eſſe. Generoſè ferendum eſt, quod æternum non eſt, quod ipſa tolerantia imminui poteſt, quin & abſolvi.

79. Non ea eſt hominis calamitas maxima: quòd viventi ſemper mors inſidietur; major eſt, quòd ipſe ſibi in interitum vivat,

vivat, id est in lucem genitus, ut occumbat. Majorem se ipso hostem non habet: nam qui malè vixerit, minùs mori formidat, quàm qui deperit vivere.

80. Contende bene agere, & affluent tibi bona. Tibi proficis, si studeas aliis prodesse. Gravaris multùm curando te, tuáque commoda; neque habes, quod ab aliis expectas: proficiendo illis, proficis tibi. Parùm agis, si aliis non obfueris; at benefaciendo & proderis illis, & tibi: beneficia enim pariunt amicos. Sensatè Attalus: *Deliciosius est amicos facere, quàm habere*: saltèm æquè bonum est, nonnunquam utilius.

DECAS IX.

81. Nulli obesse innocentia est, alteri non obesse justitia. Verùm hæc duntaxat pars media charitatis est, altera est misericordiæ: perficitur autem ex utraque. Nam ad non obesse, quod est justitiæ, desideratur ut prosis, quod est beneficentiæ.

82. Regula justitiæ nulla exactior, ac Amor sui: metiendo alios ex te, judicabis de alienis, uti de tuis. Si beneficium æstimes, alteri non obfuisse, sat injustus es.

es.

es. Justitiæ enim non debetur gratitudo,
& beneficentia censenda non est alteri
non nocuisse.

83. Diffidere aut suspicari dici posset,
cautela; at credere facilè, plus est, quàm
levitas: Prudentiæ est suspendere judi-
cium, justitiæ non publicare. Noli à sen-
sibus mutuare sententiam: testimonium
illorum falsum est. Sine, decipiantur illi,
non tu. Non accelera judicium; mora a-
perit veritatem.

84. Justitia absque clementia proxima
est crudelitati. clementia verò absque ju-
stitia haud longè differt ab imprudentia.
Clementiam semper antecedit Justitia:
hæc priorem locum occupet, illa eminenti-
torem. Plus aliquid Clementiæ dandum,
licèt suus rigorem honor maneat. In hoc
excellit Justitiæ pretium, quod sinè pru-
dentia æstimari debeat; hæc autem abs-
que illa inermis manet, vique omni desti-
tuta. Justitia se solâ prodest, prudentia
absque justitia feracissima est malorum.
Nullum virus periculosius, quàm serpen-
tum; neque ulla injuria gravior, quàm à
subdolo illata.

85. Qui

85. Qui semper quæsierit, quod arridet, rarò inveniet quod non dedeceat. Mille tricis involventur omnia, ubi rationi se præposuerit, voluntas. Quamdiu affectus te occupant, ineptus es judicandi. Languet ibi iudicium, ubi passio viget. Meritis attendendum est non personis; quid jus alterius exigat, non quid potestas tua valeat, aut svadeat voluntas.

86. Gradum aliquem malitiæ tuæ adjicis, si, quia malum placet, delinquis. At verò magnis ille passibus malitiæ accedit, qui sibi in malo complacet, quod patravit. Qualis dementia! perversum damnando perverti, & amittere virtutem ex odio vitiosi.

87. Fortis est, qui pudore non vincitur, at longè fortior, quem non vicerit necessitas. Hunc æquè fortem existimem, quàm qui vicerit se ipsum.

88. Non illum dixeris fortiorem, qui plura fecerit, sed qui cuncta tulerit patienter. Non est in humanis potestas, cui nemo aliquando restiterit; at contra patientiam quis unquam prævaluit? Dicere: hoc non feram, mentis est effœminatæ. Dicere: hoc non faciam, animi virilis.

89. Mentis generosæ in se collectus ardor veluti per antiperistasis, ad versitatibus irritatus magis accenditur, & inter ipsa infortunia se manifestat: nunquam deficit, sed quò plùs vincendum reperit, eò plùs roboratur. At major adhuc vis patientiæ: nihil agendo omnia vincit, & instar castri munitissimi absque adjumento iracundiæ repellit hostem.

90. Currus victoriæ trahitur à prudentia & fortitudine, quibus si consilium junxeris, & animi robur, duplicabis vires in omnem insultum. Nihil ità fortunat generosum animum, ac prudens ratio gubernandi.

DECAS X.

91. Temperantia evehit sese ad solum virtutis, quod est medium: omnes quippe virtutes, ut tales sint, hunc locum ambire oportet, quem temperantia naturâ suâ possidet. Ipsa appellatione cognoscitur esse virtus, jam ab ortu suo eò evecta, quò reliquæ omnes aspirant. Res mira! quod in moralibus virtutibus majus est, hoc eas imminuit: excessus transit in vitium, solâque mediocritas virtus est. Ab illa con-

diuntur

diuntur omnia, & quidquid naturâ suâ sapi-
dum est, absque illa redditur insulsum.
Illa honesta sustentat, obsonat dulcia, &
utilia procurat.

92. Multum superest temperanti; quia
passio sumptuosa est, & prodiga; ast hor-
ror vitiorum colligit, & ditat. Plurimum
congregat, qui nihil inutiliter dispergit;
idcirco Temperantia non solum virtus
est, sed thesaurus. Alea, & mulier plus
absument, quam voracissimum incendiū.

93. Eâ ratione corpus tuum habe, tan-
quam sinè quo vivere non possis. Cave
illi vivas: quia non vivis propter illud.
Mensura commoditatum sola necessitas
sit, non cupiditas, aut voluptas. Hæc e-
nim feracissima est omnis molestiæ, & ja-
nuaria doloris.

94. Virtutis effigiem nemo melius ex-
presserit, quam ipsa mors, tanquam opti-
ma vitæ idea, & norma. Si cupis bene vi-
vere, consule de mortuos, illi magistri tui
erunt. Nulli meliorem vitam agunt, quam
qui mortuis assimulantur. Philosophia
mortis meditatio est; ista vanitatibus lar-
vam detrahet, dedocebit vitia, & virtutis
immensa commoda aperiet.

95. Ut tui oblivionem nunquam incurras, memineris ſemper te moriturum. Fœcundiſſima eſt mortis recordatio: admonet hominem ejus quod eſt, quod deberet eſſe, & quod illi incumbit agere. Magiſtra eſt, & benefactrix vitæ: docet vivere, ut gaudeas vixiſſe.

96. Nè exiſtumes, quòd cum morte deſinas ſolùm vivere, deſinis quoque mori. Ex quo cœpiſti eſſe, cœpiſti deſinere: ex quo vivis, moreris. Lumen vitæ idem eſt, quod candelæ: indè moritur, unde vivit; indè conſumitur, unde alitur.

97. Quid eras, priuſquam te orbis habuit? Inquis: Non eram. Non eſſe extrema neceſſitas eſt. At quid nunc es, qui paulò antè non eras? & dum cœpiſti eſſe, penè nihil es, ac in brevi ad nihilum rediturus es? igitur cùm omnia nihil ſunt, unica virtus aliquid eſt, imò multum eſt: quia multum poteſt, & te magnum facere poteſt. Æſtimemus illud unde ſolùm æſtimari poſſumus.

98. Penè idem eſt diu vivere, ac diu pati. Flendo naſcimur, querendo morimur.

& vivendo periclitamur. Id unum solari nos potest, neminem coepisse vivere, qui non caeperit simul mori; atque ita vivere & pati eodem momento inchoare, eodem desinere.

99. Virtuti tanta est accessio ab eo, qui patitur malum, à quo illa abhorret, quàm ab illo, qui gaudet de bono, quod illa prosequitur. Miserum te! si anima in corpore, alio quàm salis munere non fungitur, id est, conservandi, non gubernandi.

100. Virtus quidem est accidens hominis, sed quæ substantiam conservat. Condidit Deus creaturas omnes, ut serviant homini, hominem verò, ut cum omnibus illis serviat Deo. Virtus sola est, quæ te hoc honore dignum efficit; & tu per illam eundem tribue Creatori.



Dictamina Stoica.

DECAS I.

I.

Quemadmodum non quod possidemus, sed quod in votis est, delectat ita non quod deest, affligit, sed quod concupisci-